

Cardamine bellidifolia Lapp.

Stellaria biflora.

Haec dum exaravi et epistola cum Tabellario abiret, accessit altera Tua cum plurimis pulcherrimis tabulis.

*Cistus pilosus* 2.; scripsi ego; *villosum*, sed typographi correctori placuit.

Iris: racemus junceus Spartii ramos referens.

Loeselii: caules hirsutiae alba.

Colutea herbacea mea in Horto hybernaculo perrennavit etiam apud me per 2 v. 3 annos.

Coronilla coronata est in hybernaculo major Coronilla valentina.

Bryonia alba nobis frequens semper monoica. in Hollandia ni fallor dioicam vidi.

Gentiana punctata stupendae pulchritudinis figura.

Myagrum sphaerocarpum est Crambe hispanica, si stamina examinare placeat.

Gratiosissime mecum communicatas observationes in usus vertam ad Syst. nat. tom. 2.

---

### 36.

Nobilissimo Amplissimoque DD. Nic. Jacquinio  
s. pl. d. Car. v. Linné.

Accepi hodie Tuas die ultima Maji datas.

Cum senio ingravescente toto hoc anno morbis consumtus fui, iisque variis, nunc Tertia laboro. Tuae autem hae litterae me quasi ex orci faucibus excitabant, imprimis Loasae isto desideratissimo caractere, cum adjuncto pulcherrimo specimine exsiccato. Mira profecto planta, si quae umquam alia, si adhuc viverem per aliquam aetatem amplius, nihil mihi magis in votis esset, quam hanc habere